

Autobiografia ks. Jakuba Wujka.

Z rękopisu Archiwum OO. Jezuitów w Rzymie.

Iesus † Maria

Vocatio P. Iacobi Vagrovicii.

*In nomine*¹⁾ *tuo dulcis Iesu ad laudem et gloriam tuam.*

Cogitanti mihi annos et tempora praeteritae aetatis, heu nimium male collocata, exclamare libet cum propheta: Nisi quia dominus adiuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Nam etsi in puericia non exiguos ad pietatem stimulos sensi, et recitandis quotidie orationibus S. Brigidae singularem quandam devotionem cum lachrymis expertus, et ad cogitationem aeternitatis tum gloriae paradisi, tum poenarum inferni, desiderium quoddam martyrii seu vitae solitariae in me excitatam fuisse memini: tamen succrescente aetate, cum in Germaniam missus essem, omnia illa vitiosis actibus pene obruta conciderunt. Praesertim cum inter haereticos manerem, annos circitetr 18 natus, quorum legendis libris, etiam ipse, proch dolor, perversus, in eorum errores consenseram. Quo tempore memini me in tetra quaedam et horrenda scelera collapsum, in quibus aliquot annos perseveravi: et forte diutius etiam permansissem, nisi Deus ex alto miseratus extraxisset me de lacu miseriae et de luto fecis. Nam ex Germania revocatus in patriam, praefecturam scholae suscepi in quadam civitate, ubi ab errore Lutherano paulatim, tum cuiusdam sacerdotis monitu, tum praecipue lectione Confessionis Illustrissimi Cardinalis Hosii, ad Catholicam Ecclesiam Dei benignitate

Natus
sum
Anno
Domini
1541

Anno
Domini
1555

Anno
Domini
1558

¹⁾ Zachowano ortografię i interpunkcję oryginału.

Anno
Domini
1559

redii. Paulo post a parentibus Cracoviam missus studiorum causa, ibidem post aliquot menses creatus sum Artium Baccalareus: et cum ob pestem fere omnes studiosi dilaberentur, ego quorundam suasionibus inductus, ad Episcopum tum Cuiaviensem Iacobum Uchański, qui nunc est Archiepiscopus Gnesnensis, me contuli. Suscepique apud eum conditionem docendae iuventutis sive alumnorum ipsius, tum in Latina et Greca, tum in Germanica lingua. Ibi primum post aliquot annos de societate Iesu ab ipso Episcopo aliqua audivi: Extitisse nuper viros doctissimos, ac religiosissimos, qui totam artium cyclopediam brevissimo tempore et ipsi absolverent, et alios edocerent; sibi que esse in animo, me ad ipsos Viennam cum suis nepotibus mittere. Quibus verbis dici non potest, quantopere exhilaratus et erga societatem inflammatus fuerim, praecipue studiorum causa. Nam de religioso vitae genere nihil etiam tum cogitabam. Postquam igitur Iacobus Uchański post mortem Przerembii creatus est Archiepiscopus, quaemadmodum ante promiserat me cum suis nepotibus Viennam Austriae ad convictum misit: ubi per triennium fere commoratus et cursum Philosophiae ipse audivi, et mihi commissos pro virili mea parte curavi. Ibi primum per frequentationem sacramentorum malos et vitiosos habitus exuere et mentem ad pietatem componere coepi. Iamque aggressus eram exercitia spiritualia in quibus procul dubio Societatem statim elegissem sed negocium quoddam patrem Victoriam qui tunc Instructor meus fuerat Tirnaviam evocavit. Itaque exercitia in aliud tempus distuli. Iamque societatis mores et vita et studia mihi vehementer placebant: caeterum desideria quaedam carnalia me adhuc in saeculo retinebant. Praesertim cum Archiepiscopus absenti mihi et nihil tale cogitanti, Parochiam quandam satis pinguem contulisset, spemque fecisset me cum nepotibus ipsius in Italiam primo quoque tempore profecturum. Verum ego postea mutata sententia (cum adolescentum quos regebam, mores considerarem) urgere coepi apud Archiepiscopum ut mihi in Poloniam redire liceret: id quod aegre tandem obtinui. Posteaque autem ad Archiepiscopum redii, summam ipsius erga me benevolentiam et favorem expertus sum. Nam non modo nullas

Anno
Domini
1562

rationes expensae pecuniae audire a me voluit, sed mihi Canonicatum etiam Lanciensem opimum contulit, nihil tale petenti, ac ne cogitanti quidem: cum alii plurimum laborarent, ut ipsum assequerentur. Hisce beneficiis obligare me sibi voluit, ut ei tanto libentius servirem in posterum: fecitque me secretarium et scribam suum. Verum ego cum duo beneficia Ecclesiastica iam tenerem, motus auctoritate S. S. Concilii Tridentini, et legendis piis libellis et audiendis sacris concionibus in Quadragesima cogitare coepi attentius de constituendo vitae genere: utrum sacerdos saecularis, an vero societatis esse vellem. Cumque rem diligentius Domino comendarem, saepeque ea de re cogitarem: quadam nocte antequam obdormirem, rationibus in utramque partem expendendis fatigatus, motum nescio quem sane vehementem sensi: et statim surgens e lectulo, vovi Domino Deo, me in alteram partem certi aliquid ea ipsa Quadragesima conclusurum: ut vel acceptis sacris ordinibus meae vocationi facerem satis, vel certe Romam ad Societatem me conferrem. Itaque cum aliquoties ad eam intentionem confessus fuisset, et communicassem, ut Deus mihi aperiret, quid me facere oporteret: admirabile quoddam lumen in animo sensi: utque me quamprimum negociis saecularibus expedirem, et in Societatem convolare, stimulos quosdam acres in mente percepi: adeo ut quae antea carni molestissima et pene intolerabilia viderentur paupertas, sui abnegatio, obedientia, et cetera eiusmodi, quae religiosum vitae genus comitantur, tunc viderentur pro Christi amore iucundissima: cum praesertim non leviora in saeculo, pro honoribus, pro victu et rebus necessariis comparandis, et reliquis vanitatibus essent sufferenda, magno cum animae detrimento. Quare constitui omnino, primo quoque tempore, et aulae et saeculo nuncium remittere, neque diutius resistere spiritui sancto, atque illico me Romam ad societatem conferre. Oportune autem accidit, quod sub idem tempus quidam Canonicus mihi bene notus Romam iter comparabat, ut pro clero Poloniae dispensationem circa pluralitatem beneficiorum obtineret: cuius itineris ut comes essem omnem navabam operam. Itaque Reverendissimum D. Archiepiscopum adeo, eique propositum

meum aperio, cunctatur ille. Ego iterum atque iterum urgeo: beneficia Ecclesiastica, quae mihi contulerat, eidem resigno: domum abeundi et parentibus valedicendi potestatem peto. Concedit ille tandem. Verum cum puerum iam cum impedimentis praemissem, et ipse in equo paulo post secuturus essem, equus subito in morbum incidit, coactusque sum alium quaerere, quem cum magno labore inveni tandem. Atque hoc primum fuit impedimentum. Alterum autem a parentibus in patria multo maius: qui permoti quorundam sermonibus, reprehendere factum meum, quod cum in tanta Archiepiscopi gratia essem et tot beneficiis ab ipso ornatus, omnia illa subito abiecissem, meque tam longo et periculoso itineri committere vellem. Quas tamen ego querelas redditis propositi mei rationibus utcumque sopivi. Ad Archiepiscopum reversus, non modo nullum ab ipso, quod tamen metuebam vehementer (me namque ad omnia fortiter perumpendia animo praeparaveram) impedimentum habui: sed 30. etiam ducatis ad iter adiutus, et in corona magnorum virorum collaudatus, et honorifice ac magna cum benevolentiae significatione dimissus sum. Atque ita ab omnibus expeditus Anno domini 1565. Romam veni: quo tempore post mortem R. P. Lainez, generalis congregatio habebatur, et R. P. Franciscus Borgia electus est societatis nostrae generalis: et die s. Iacobi in societatem admissus: biennioque in urbe exacto, mense septembri Anni 1567 in Poloniam remissus, Pultoviae mansi usque ad annum domini 1571. Ibi sacris ordinibus initiatus, anno domini 1569. Anno vero 1570 in Russiam ad eligendum collegio Jaroslaviensi locum destinatus; ac demum anno 1571. Posnaniam ad iacienda eius collegii fundamenta missus sum, ubi et quattuor, votorum... professionem emisi; et ubi etiam nunc maneo. Atque utinam digne ambulem vocatione qua vocatus sum: ad maiorem Dei et Domini nostri gloriam, cui sit laus honor, et gratiarum actio in sempiterna saecula. Amen.

Laus Deo

Iacobus Vagrovicius
manu propria